


DEDICATIO.



Erena frontem, Nobilissime
 Josua, parentis magni spes
 maxima, & adverte ani-
 mum, dum instituo reddere
 rationem scriptiois, quâ pu-
 blicum, & inscriptionis, quâ
 tuum commodum mihi proposui ut cunq; prove-
 here. Atq; ut hinc exordiar, multi temeritate
 quâdam compelluntur ad scribendum multa in
 publicum; plures fami, plurimi fame scribunt.
 En tres classes illorum, quos non ineptè dixeris
 Scriptorum nugas. Præter hos sunt alii (sed
 nimis quàm pauci) qui compelluntur inscitâ ad
 scribendum, non dico subtilia vel plausibilia, sed
 utilia, sed facilia. Atq; in his profiteor meum no-
 men, conatu potius & voto, quæ mea est gloria,
 quàm ipso factò, quæ mea est tenuitas. Hæc
 paradoxum, inquiet aliquis, tu hîc commemo-
 ras! Næ paradoxum, inquam ego, existimes,
 verborum superficiem si adspicias: at corpus i-
 psum si introspicias, minimè paradoxum. Rem
 totam sic accipe. Pauca nota nobis, ac ne illa qui-
 dem fortasse. Nam in luce rerum tenui caliga-
 mus: in mediocri cecutimus: in majore ceci su-
 mus: in maximâ insanimus. Quid aliud? quàm
 nescimus. O miseros nos ignorantie filios! Sed ô
 miseriores illos, qui suam ignorantiam igno-
 rant!